

## CONCIO IV.

relictis negotiis tuis, statim illius provide saluti. » Hæc Chrysost. Nimirum tanti est vita hominis caduca; sed quanto præstantior vita ejusdem æterna; et si magnum fuit luerum, quo S. Paulus Romam navigans servavit a naufragio omnes animas, quæ cum eo orant, 276. (Act. XXVII.) quas Deus donavit apostolo ob illius merita; quanto majus est lucrum animarum, quas a naufragio gehennæ præservaris? Tametsi vero qui corrigitur, id modo sæpe non agnoscit: agnoscat tamen suo tempore et tunc immortales ager tibi gratias, juxta id Prov. XXVIII. Qui corripit hominem, gratiam postea inveniet apud eum magis quam ille, qui per linguæ blandimenta decipit. Nonne ebrius aliquis, qui hodie vel pecuniam fundendo perdit, vel duellum inire contendit cum longe fortiore aut pluribus; si tu ei pecuniam abscondas vel gladium, eumque in cubiculo aliquo includas, cras mane ubi erupulam edormit, ad se rediens, magnas tibi aget gratias? S. Amandus episcopus Argentinensis, cum Dagobertum regem argueret de peccatis jussu S. Petri, qui ei apparuerat, primo ingratus erat, ita ut regno extruderetur; sed tandem resipisci Dagoberto gratissimus factus est, Nauclerus, tom. II. gener. XXI.

Secundo, gaudium paris angelis, si quem errantem reduxeris. Sic enim et Salvator noster gaudium fecit angelis Dei, quando requisivit et humeris suis retulit ovem perditam, Publicanos inquam, Luc. XVI. Quod ipsum etiam facit suo modo quicunque peccatorem ad viam bonam reducit. Si enim: *Gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, plusquam super nonaginta novem justis*, sequitur, quod ejusmodi gaudium angelis creet, quicunque peccatorem convertit. Quantum vero hoc est, angelos in cœlo lœticare? Quanta gloria foret duci, qui nunc hostes nostros hæreticos vel exterminaret, vel potentia sua subactos ad fidem nostram converteret, et per hoc totam Ecclesiam nostram lœticaret? Si rem designaret, unde summus pontifex et omnes episcopi, Rom. imperatores et omnes imperii ordines populusque universus mirum in modum recrearentur? Quam gratum nobis afferret nuntium, qui Turcam aut principem imperii ad fidem convertisset? Quantum is sibi vel hoc solo nomine deberet gratulari?

Tertio, mercedem promisit tibi Christus in hodierno evangelio: *Curam illius habe, et quodcumque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi*, in judicio enim particulari compensabit tibi laborem quem insumpseris in corrigendo et convertendo proximo. Ibi tot coronas accipies, quot ad meliorem frugem perduxeris. Sic enim apos-

tolus vocat Philippenses, c. V. *Gaudium et coronam suam*. Sic olim Carthagine tot annulis quis ornabatur, quot militias toleraverat; quid in illo die gratius afferre possimus Christo, non video. Idque vel ex eo satis patet, quod Dominus tertium commiserit Petro oves suas tam tenero et serio affectu: *Simon Joannis, diligis me? Pasc me agnos meos*. Et quid tandem merebitur, qui non solum paverit, sed insuper errantes oves reduxerit? Ac licet is quem corrigit et mones, correctionem non acceptet, oleique et vini medicamentum in eo pereat: non tamen perdes mercedem tuam. Non enim dixit Dominus stabulario: *Sana illum, sed: Curam illius habe, id est, operam adhibe, fac quod in te est, etc. et cum rediero, reddam tibi*.

## CONCIO IV.

## CORRECTIONEM A EQUO ANIMO ACCEPTANDAM ESSE.

- I. Quia correctio est signum divinae benevolentiae. —
- II. Quia salutaris. —
- III. Quia gloriam potius quam ignominiam nobis parit. —
- IV. Quia correctio spreta malo hominis indicium. —
- V. Quia spreta celerem Dei vindictam solet experiri.

## THEMA.

*Alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum.*  
Luc. X.

Rerum naturalium sedulus indagator, Plinius. I. IV. cap. XXII. ait: *Duo sunt liquores corporibus humanis gratissimi, intus vini, foris olei*. Propterea fortasse noster Samaritanus e duobus his liquoribus composuit pharmacum suum, quo sanaret miserum illum vulneratum a latronibus; pharmacum inquam, gratissimum e gratissimis liquoribus. Verum, auditores, si intelligamus, quid hoc pharmacum designet, timeo, ne permulti sint, quibus id ingratum, imo ingratissimum sit. Proximorum enim correctionem, auctore D. Greg. I. XX. mor. cap. VI. denotat, quæ quidem ita constituta esse debet, ut ex una parte leniat velut oleum, ex altera mordeat velut vinum. At vero quam multi sunt, qui hanc a se repellunt? Oleum quidem admittunt, sed adulatoris, quo palpari et mulceri volunt: vinum correctoris respunnt. Non ita vir secundum cor Dei, David, qui Psalm. CXL. *Corripet me justus in misericordia*, ecce vinum et oleum Samaritani, correctio et misericordia: *Oleum autem peccatoris*, hoc est, adulatoris blandimentum: *Non impinguet caput meum*. Non ita etiam homo ille vulneratus a latronibus, medicinam enim Samaritani tametsi ex parte mordacem libentissime admisit,

## DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

et gratissimam sibi habuit, quod itidem nos oimpes faceremus, auditores, si intelligeremus, quantum bonum sit correctio, seu paterna, seu fraterna: quantum etiam malum, contemptus correctionis, id quod nunc docebimus.

I. Aequo igitur et grato animo admittenda est correctio. Primo, quia signum est divinae erga nos benevolentiae. Scimus ex libro Esther, c. IV. regiae benevolentiae indicium fuisse, cum rex auream virgam protenderet ad aliquem regi locuturum. Aurea virga est correptio: qui vero corripit, sive superior sive frater tuus, manus Dei est, in signum benevolentiae ad te extensa. Nisi enim te salvum vellet Deus, virgam illam et manum suam ad te non extenderet. Prophetæ Malachias missus a Deo ad increpandos Hebreos ita incipit sermonem suum: *Onus verbi Domini ad Israel in manu Malachia*. Quid sibi vult hoc onus? Tristem, onerosam et increpatoriam prophetiam seu concionem. Sed quorsum ea mittitur? Ad Israelitas, Dei servos. Per quem vero mittitur? Per manum et os Malachia, qui Heb. significat angelum. Ergo revera angelus est, qui nos corripit, a Deo nobis missus, et quidem ad nos, non contra nos; quia ad salutem nostram. Amicus est, non inimicus. Quid enim amicus nisi animi custos? Inde enim appellationem habet. Propter ea D. Chrysost. hom. XXIV. in Act. apost. ait: *Corripere peccantem, plus esse quam pro eo orare*. Magis enim propinquæ, magisque efficaciter succurrerit periclitanti. Hinc olim in Clarevallensi monasterio pius hic mos viguit, ut si quis ab altero de aliquo defectu moneretur vel reprehenderetur, illico reprehensus in gratiarum actionem pro reprehendente recitaret orationem Dominicam, ut habetur in chron. ord. Cisterc. Accipe igitur, inquit D. Bernardus Cisterciensium decus, correptionem tamquam donum e cœlo delapsum, et ita gratum te exhibebis ei, per cuius manum eam accipis.

II. Quia salutaris; sanat enim morbos tuos, monstrat tibi nævos tuos, ostendit tibi viam cœli. Sed audiamus de hac re ss. patres. S. Augustinus, I. de correct. et gratia, cap. V. ait: « Quicunque corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis. Non vis enim tua vita tibi demonstrari: non vis, ut feriantur, fiatque tibi utilis dolor, quo modicum quæras: non vis tibi tu ipse ostendi ut cum deformem te vides, reformatorem desideres, eique supplices, ne in illa remaneas foeditate. » S. Chrysostomus yam ab amicis quibusdam monitus esset de prolixitate concionum, in hom. de ferend. reprehens. tom. II. respondit se valde illis obstrictum esse ob eam admonitionem. « Nam

## IV. PARS AESTIVALIS.

si inquit, vestem habeas dissutam aut sordidam et faciem maculatam, magnum tibi præstat beneficium qui, ejus rei monet, gratiasque propterea illi agis. Quanto igitur magis rationi erit consentaneum gratias ei agere, qui de animæ maculis monet, ut eas abstergas. » S. Basilius: « Si chirurgos, inquit, diligis corporis vulnera curantes, etiamsi crucient doloremque inferant, eisque mercedem pro labore et animi gratitudinem reddis; quanto magis diligendus is est, gratiaque illi agendæ, qui animæ vulneribus medetur? Intellexerunt hoc et gentiles. Cum enim quidam ab amico reprehensore sese abalienasset, Cato ei dixit: « Noli indignari amico: apem enim propter aculeum non odisti, sed foves et tueris propter fructum. Cur igitur amici objurgationem fers adeo inique, quam propter benevolentiam plurimum amare debes? Maximus, serm. VI. Apis igitur est correctio, quæ eti pungit, mel tamen præstat; ideoque, S. Aug. super Joan. ait: *Si me possis docere quod nescio, non solum te verbis sed et pugnis cädentem deberem patientissime sustinere*. Gentilis etiam fuit Philippus Macedonum rex, qui cum in auctione sedens parum decenter vestitus esset, quidam eorum qui vendebantur, exclamavit: *Parce mihi Philippe, a patre enim sum tibi amicus*. Philippus interrogavit, unde nam hæc amicitia conflata esset? Tum ille: *Volo, inquit, proprius accedens dicere*. Qui cum admisus esset, quasi arcani quidpiam dicturus: « *Dimitte, inquit, chlamydem aliquantulum; nam ad istum modum indecenter sedes*. » Mox Philippus: « Hunc, ait, dimitte liberum; nesciebam enim prius illum mihi verum amicum esse, donec melioribus institutus sum ab ipso, » Plut. in apophth. Sensit ergo rex prudentissimus eos præcipios esse amicos, qui prope nos instruunt. Quanto ergo amicior nobis esse debet, qui non de inhonesta sessione, sed de inhonesta morum conversatione nos fidenter admonet.

III. Quia gloriam nobis potius quam ignominiam parit, si aures ei præbeamus. Hoc enim testatur Sapiens, Prov. XV. *Inauris aurea et margaritum fulgens, qui arguit sapientem et aurem obedientem*. Sensus est; qui alterum corrigit, quasi in aurem auream auribus ejus appendit. Ornamentum ergo est tibi correptio, non dedecus. Accedit Ecclesiasticus, c. XX. *Quam bonum (Græce quam pulchrum) est correptum manifestare pœnitentiam!* Pulcherrima est enim correcti si grato et obsequenti animo admittat correctionem, humilitas, obedientia, gratitudo, pœnitentia: uti vicissim abominabilis refractarii arrogantia pertinacia et serpentinus furor, de quo Ps. LVII. dicitur: *Furor illis secundum similitudinem*

*serpentis: sicut aspidis surdæ et obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantis sapienter; furor, inquam quia venenum peccati deponere non vult. Sane summi quique viri etiam inde celebrantur, quod correctiones libenter audierunt, si quid humanum illis contigisset. Moyses in primis vir sapientissimus, qui a socero suo Jethro increpatus dure satis: Non bonam rem facis, stulto labore consumeris, etc. adeo id non inique accepit, ut hoc ipsum litteris commendarit, Exod. XVIII. Deinde, David rex, qui correptus a propheta Nathan, mox errorem suum confessus est, II. Reg. XII. « Non dicit ad eum, inquit S. Chrysost. ho. II. in Ps. L. O ille tu, cur non consideras fragilitatem humanam? Cur non temetipsum carnalem intelligis? An me nescis in culmine constitutum esse regali: cur mihi audacter impegisti crimen? Sed quid dicit? Peccavi Domino.» Propterea etiam correctionem se amasse, adulatioinem vero odisse dixit, Ps. CXL. *Corripet me justus in misericordia: oleum autem peccatoris non impinguat caput meum.* Laudandus etiam hic venit S. Aug. qui ep. XIX. ad S. Hieronymum de seipso scribit: « Identidem rogo ut me fidenter corrigas, ubi mihi hoc opus esse perspexeris. Quamquam enim secundum bonorum vocabula, quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, episcopus presbytero major sit; tamen multis in rebus Augustinus Hieronymo minor est: licet etiam a minore quolibet non sit refugienda vel dignanda correctio.» Huic accedat S. Chrysostomus, qui redargutus a pia muliercula, quod ejus conciones infrugiferæ essent ob sublime genus dicendi supra captum radiorum, e vestigio mutavit juvenilis naturæ institutum, dictionemque faciliorem simplicium auribus accommodavit; unde factum ut ab omnibus facile intelligeretur et frequentibus acclamacionibus: *Chrysostomus, hoc est, os aureum diceatur, Metaphrastes, in vita. Denique, S. Carolus Borromæus duos ex professo constituit sacerdotes, qui omnia ejus acta observarent, inspiccerent, ac censerent, monens ut secure ipsum admonerent, ut in ejus vita, l. VIII. c. XVI. Hau sit opinor hanc virtutem a predecessor suo S. Ambrosio, qui et ipse monitorius a quoipiam, gratias monitori agebat dicens: Se ingens ab eo accepisse beneficium, ut in ejus vita.**

Quinetiam infideles agnoverunt correctionem esse beneficium. Etenim Balthasar a Daniele gravissimam audiens censuram, et mali diei nuntium, nequaquam ei iratus est, sed patienter eum audivit, et honoravit induens purpura et torque aurea, Dan. VII. Callices etiam seni, monitori sue ita loquuntur:

Si quid scis me fecisse inscite aut improbe,  
Si non accusas, tu ipse objurgandus es, scio.

Recte etiam Plutarchus, lib. de prefectu morum ait: « Quisquis ad bonam frugem ex corruptis moribus pervenire desiderat, opus habet, auctore Diogene, diligenti amico, fervidoque hoste, ut peccatum fugiat, aut correptus aut certe humaniter ac blande curatus.» Breviter ac sapienter D. Anselmus dicere solebat: *Ubi non est correptio, ibi est corruptio.*

IV. Quia correctio spreta mali hominis indicium est. Ita enim Ecclesiasticus, c. XXI. ait: *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris, hoc est, mali et reprobi hominis vel ut alii explicant, ipsius diaboli peccatorem possidentis, juxta id Ps. CVIII. Constitue super eum peccatorem, et diabolus stet a destruis ejus.* Ut ergo juxta leonum cubilia, leonum apparent vestigia: juxta serpentum latibula, reptantis corporis sulci visuntur, ita in homine contumaci contumacis diaboli patent vestigia. Aut certe sicut strati et dejecti civitatis muri subversaque domus argumentum sunt civitatis ab hoste occupatae, ita cum homo spernit correptionem et consilia sana ostendit se a dæmone jamjam occupatum ac pene irrecuperabilem. Atque hoc est peccatum illud indeleibile, proximum excidio, de quo Jer. XVII. dicitur: *Peccatum Juda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, hoc est, cum stylo vel graphio adamantino, vel in ungue, id est, lapide adamantino.* Vult dicere esse indeleibile, quia correctionem non admittit. Quod in charta male scribitur, cultello corrigi potest: at non ita, quod in adamante. Hoc peccato efficit Saul, ut a spiritu nequam dire exacerbaretur et quasi obsideretur. Redargutus enim a Samuele: « Nonne cum parvulus esses in oculis tuis caput in tribibus Israel factus es? Quare ergo non audisti vocem Domini, etc.» Cum superbo supercilie respondit: « Imo audivi vocem Domini.» Hoc vero: « Nequissimum est, inquit in eum locum Rupertus, cum post voluntatem peccati, quod primum est, et post effectum operis, quod secundum est, atque post usum perversum, quod tertium est, additur et defensio peccati, quod quartum est: et hic nullus veniae locus est. Nam et per prophetam Deus dicit, super tribus sceleribus Damasci, et super quartum non convertam eum. Igitur tantis exacerbatus contumeliosis injuriis spiritus Domini recessit a Saul et exagitabat eum spiritus nequam a Domino.» Ita Rupertus, docte ac vere. Ut enim de illius vita actum existimat, qui efferatus in rabiem horret medicinam, et phrenesī laborans fortunatum se ac sanum

putat, ideoque furiat ac stomachatur in medium: sic etiam illius salus desperata videtur, qui cum morbo laboret animæ, salutare correctionis medium aspernatur, et præsertim cum insanit in reprehensorem, quemadmodum Eudoxia Augusta, quæ reprehensa a D. Chrysostomo ob ademptum Gallitropæ viduæ agrum, insidias ei struxit effecitque ut in exilium vir sanctus ejiceretur. Similes sunt hujusmodi homines oleæ, quæ securim se cædentes leadit atque hebetat, teste Pierio, lib. LIII. hierogl. Similes item scirpo seu caracto, quod etsi multos flores profert, spinosas tamen cuspides habet, quæ asperitate sua manum carpentis leadunt ac cruentant; et nihilominus: *Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit, inquit amicus quidam. Job, c. VIII.* Tales enim sunt superbi et hypoeritæ ut exponit D. Gregor. VIII. mor. c. XXIV. qui foris quidem præ se ferunt vitæ sanctitatem, improbi tamen sunt, acutissimis spinis pleni, quibus pungunt reprehensorum suos, noluntque vel blanda manu carpi, ideoque in contumaciam pœnam ante omnes plectuntur a Deo, vel evanescunt in superbia sua: *Mira perversitas inquit, S. Bernardus, medicanti irascitur, qui non irascitur sagittanti.* Deberent isti iram suam in dæmonem convertere, qui in ipsis jecit sagittas tentationum: medico vero sananti et media correctione sagittam extrahenti immortales gratias agere; nunc autem irascuntur medicanti et favent sagittanti, mira profecto perversitas.

V. Quia contempta reprehensio celerem Dei vindictam solet experiri. Id enim testatur Sapientis, Prov. XXIX. *Viro, qui corripientem dura cerice contemnit, repentinus ei veniet interitus et sanitas non sequetur.* Cujus veritatis luculentí testes fuerunt imprimis duo filii Heli sacerdotis, qui quod blanda et paternam ejus correctionem audire noluerunt, florente etate eodem die in prælio occisi sunt, I. Reg. IV. Causam repentinæ extinctionis legimus, c. II. præcedente, ubi dicitur: *Et non audierunt vocem patris sui quia voluit Dominus occidere eos.* Ubi vocula quia videtur ponit pro ideo, uti fit Ose. IX. ¶ XV. *Omnes nequitæ eorum in Galgal, quia ibi exoscos habui eos: et Luc. c. VII. Dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit mulum,* hoc est, ideo dilexit multum. Eumdem interitum minitatus est Deus per prophetam Amasiæ regi Iuda, II. Par. XXV. Cum enim propheta quidam in idolorum cultu eum redarguisse, rex arguenti interminans respondit: *Num consiliarius regis es? Quesce, ne interficiam te.* Ab illo igitur discedens propheta: *Scio, inquit, quod cogitaverit Deus occidere te, quia fecisti hoc malum et insuper non acquie-*

*visti consilio meo.* Exinde mox provocavit Joam regem Israel ad prælium; cumque Joas juberet eum domi quietum sedere, nec pugnare sine causa, nihil apud eum obtinuit; congressus igitur cum Amasia fugavit ejus exercitum, ipsumque captivum duxit in Jerusalem, sicque Amasia mercedem accepit sua contumaciam. Sed videamus etiam testimonia e tempore legis novæ. Magnus ille Antonius ad Balacum ducem, dirum Ecclesiæ persecutorem litteras misit, in quibus hæc scribit: *Video iram Dei venientem super te. Desine persequi Christianos, ne te ira occupet, quæ proximum jam tibi minatur interitum.* Legit infelix epistolam et consputam project in terram, intentans minas Antonio; sed quid actu? Confestim minatorem oppressit supplicium et post quinque dies effraenatum ultio divina compescuit, equo decussum in terram; ex quo casu post tertium diem mortuus est. Refert Athanasius, in ep. ad orthodoxos, apud Baron. anno 342. Idem Antonius circa id tempus epistolam scripsit, ad Gregorium Cappadocem, qui sedem Alexandrinam, pulso Athanasio, invaserat, dehortatorium; sed quia contemptus est, non multo post Gregorius necatur ab Alexandrinis, Baron. ib. et anno 349. Supra etiam meminimus Exoxiam Augustam Sancto Chrysostomo salutari reprehensione exilium rependisse. Sed quid ipsa pro hac ingratitudine retulit mercedis? Deportato in Cuecum Chrysostomo grando horribilis in suburbis Constantinopoli (ubi is episcopus fuerat) decidit et quadriduo post Eudoxia vitam miserrimo fine clausit. Cum enim uterum ferret, nec eniti fœtum posset, extincta in utero proles et quadriduo sic retenta computruit: eam tandem mater una cum anima ejecit, Cedren. in compend. Baron. anno 404. His addamus Anastasium impium et hæreticum imperatorem, qui Ennodio Ticinensi episcopo alisque legatis sedis ap. ab Hormisda Pp. missis ut eum ad catholicæ fidei regulam reducerent, non modo non paruit, verum etiam a conspectu suo expulso navi fragili imposuit ac dimisit, præcipiens ne ullam Græcie civitatem intrarent. Quam impiam ejus temeritatem divina mox ultio subsecuta est. Per visum enim homo terrible, librum manu gestans ei apparuit ac dixit: *Ecce ob perversitatem fidei tuæ annos quatuordecim vitæ tuæ deleo.* Quod ille Amantio præposito cubicili enarrans, vicissim ab eo audit, visum sibi se adstantem ejus majestati a porco prostratum ac devoratum: cui utrique Proclus conjector pronuntiavit, utrumque brevi defunctum. Paulo post imperator iactus fulmine divinitus extinguitur. Refert partim Ulricus abbas Urs-

perg. in chron. partim Zonaras, partim Cedrenus, apud Baron. an. 518. Cum B. Allegius Vintoniensis in Anglia episcopus in die cinerum pœnitentes de more ab Ecclesiæ liminibus removeret. portatus est eos ut tempore quadragesimali jejunio et castitati vacarent. Quorum unus, cæteris episcopi jussioni libenter subscribentibus, joculari cœpit dicens, se a cibo pariter et conjugio non posse abstinere, cui episcopus: *Contristas me miser oppido nesciens quid tibi pariat dies ventura. Quid actum? Postera die miser ille in cubiculo suo repertus est exanimis, incertum utrum a diabolo suffocatus, Baron. anno 947. ex hist. Flor.*

Quando igitur, auditores, vidimus quam salutare sit correctioni acquiescere, quamque periculum resistere, consulamus nobis ipsis et rebellium interitu eruditum imitemur hominem illum, qui in hodierno evangelio liberenter admisit in vulnera sua oleum et vinum. Ita enim fiet, ut cœlestis noster Samaritanus suscipiat nos in curam suam, euctosque in equum gratiae suæ perducat ad hospitium æterne felicitatis.

## CONCIO V.

## DAMNA PECCATI ORIGINALIS.

I. Vulneratus intellectus. — II. Vulnerata voluntas. — III. Vulnerati sensus et appetitus. — IV. Vulneratum corpus. — V. Vulneratus homo in externis bonis.

## THEMA.

*Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones. Luc. X.*

S. Job cum aliquando statum suum felicem, in quo fuerat, et miserum, in quem devenit, considerat, hæc secum ipse lamentabundus loqui cœpit, c. XVI. *Ego ille quondam opulentus, repente contritus sum; tenuit cervicem meam, confregit me, et posuit me sibi quasi in signum. Circumdidit me lanceis suis, convulnéravit lumbos meos: non pepercit et effudit in terram visceru mea. Conscidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas.* Hæc quidem Jobo fecit Deus, cum prosperam ejus fortunam repente in sinistram vertit; sed hæc eadem verius, ut reor, fecit Deus universo generi humano, postquam cum Adamo lapsus est. Tunc enim justo Dei judicio ex opulento illo statu in miserrimum defrusum, confractum, convulnératum, et vulneribus innumeris concussum est; id quod hodiernum nos docet evangelium, in quo miser ille viator spoliatus et sauciatus nihil aliud nisi genus huma-

num significat. Quæ vero sint illa vulnera, vindendum nunc, ut hinc discamus et peccati gravitatem et remedii, quod exhibuit nobis Christus, verus Samaritanus, necessitatem ac pretium.

I. Doctissimus vir s. J. Benedictus Perierius, lib. V. in Gen. quinque mirabiles effectus justitiae originalis fuisse scribit. Primo enim, faciebat hominem veri cognoscendi non solum cupidissimum, sed etiam rerum, quæ naturaliter sciri possunt, docilem et gnarum. Secundo, faciebat hominem usquequa rectum, juxta id Eccl. VII. *Fecit Deus hominem rectum*, hoc enim ad omne opus bonum morale propensum, et ab omni malo aversum. Tertio, faciebat partes inferiores superioribus obedientes et subditas. Quarto, faciebat naturam humanam secundum omnes suas partes et facultates integrum et perfectam, ita ut omnes et singula munera et functiones suas expedite possent obire. Denique, præstabat homini naturalem felicitatem; ita ut nullum ei abasset bonum, quod naturaliter expetere et comparare poterat, nullum etiam adesse malum, quod hanc ejus felicitatem offenderet. Omnia hæc bona periere peccato originali; nam primo, vulneratus est intellectus, et perit primum bonum: deinde, vulnerata est voluntas, et perit secundum: tertio, pars animæ inferior, sensus et appetitus et ipsi sauciati sunt, et perit tertium bonum: quarto, sauciatur etiam corpus, et perit quartum: denique, in bonis etiam externis homo damna plurima accepit, et perit quintum bonum. Omnia hæc damna insinuata mihi videntur in hodierno evangelio. Nam primo, humanum genus descendit ab Jerusalem in Jericho. Et ecce primum damnum: *Jerusalem enim visio pacis, Jericho luna exponitur.* Unde per Jerusalem plena cognitione; per Jericho obscura et tenebrosa designatur. Et quæ sunt vulnera intellectus? Primum, ignorantia in infantibus, quanta nec in bestiis reperitur. Unde Aug. I. I. de merit. et remiss. c. XXXVIII. ait: « Multorum pecorum pulli etiam minutissimi matres agnoscent, nec sugendis uberibus cura et ope admoventur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabilmente noverunt. Contra homini nato, nisi ope nutrientis admotis labris papillæ uberis ingerantur, nec ubi sunt, sentiunt et juxta se jacentibus mammis magis possunt esurientes fieri, quam sugere. » Secundum est fatuitas quædam subinde in adultioribus, discendi difficultas et fastidium. Unde August. in epist. XXVIII. ad Hieronymum: « Tam tardi, inquit, nonnulli sunt et oblivious, ut ne prima quidem discere litterarum elementa potuerint.

Quidam vero tantæ sunt fatuitatis, ut non multum a pecoribus differant, quos moriones vulgo nominant: » et, lib. XXII. de civit. c. XXII. « Sine labore nihil scimus, discimus cum labore: et plerique sic discendi laborem fugiunt, ut malint in perpetuis ignorantiae tenebris versari, quam labore subire ad discendum necessarium. » Testis est experientia, rarissime discere pueros, nisi virgis compellantur. Tertium, error circa Deum; cum enim nihil clarius sit, quam Deum omnium rerum auctorem esse, cui soli cultus, honor et amor debeatur; homines tamen sibi deos manibus fabricant, coluntque vitulos, statuas, imo cacodæmones: et pene singuli peculiares sibi genios pro libitu suo fingunt, quos sequuntur et colunt. Quartum, ignoratio ultima finis, non solum supernaturalis, sed etiam naturalis; plurimi enim homines ignorant, quorsum vivant; ut alii voluptatem, alii divitias, alii contemplationem siderum, finem hominis statuerint. Hinc diversæ philosophorum sententiae et vivendrationes, dum unus Epicurus, alius alium sectatus est magistrum. Quintum, ignoratio mediorum ad finem. Tametsi enim aliqui finem suum non ignorant, cœcutiunt tamen in mediis eligendis, in fide, in lege Dei servanda, etc. Hinc nemo non sæpenumero dubitat et deliberat, quid agendum vel omnittendum sit, hic et nunc præsertim seu particularibus in negotiis: *Cogitationes mortaliū timidæ, et incertæ providentiæ nostræ*, ait Sapiens, cap. IX. Sextum, ignorantia rerum naturalium, etiam earum, que sub sensu cadunt. Cum enim omnes homines naturaliter sciæ desiderent, ut ait Aristoteles, lib. I. metaph. eorumque munus sit contemplari naturas rerum, et inde assurgere ad cognitionem creatoris; tanta tamen est imbecillitas mentis humanæ, ut ne formicæ quidem naturam perfecte norit; et tandem abest, ut inde creatorem suum agnoverit, ut etiam cepis et alliis aliqui divinitatem attribuerint. Septimum, ignorantia sui ipsius. Nec enim solum naturam suam, animæ nimurum et corporis vires, partes, operationes; sed etiam actiones suas sæpe non agnoscit, malæ ne an bona sint, an deliberate ad aliquid consenserit, quoties et quantum peccaverit. Unde ea difficultas prodit, ut nesciat homo, parare morbis suis medicinam, dum nescit, quo laboret morbo. Octavum, curiositas in scrutandis rebus aliorum et neglectu sui ipsius. Plerumque enim in alienos oculati, in nos ipsos cœci sumus, et videmus festucam in oculo fratris, trabem autem in oculo proprio non videmus: atque ita quod necessarium est, omittimus, cognitionem nostri: quod inutile et plerumque noxiū, sectamur, scruta-

tionem alienorum. Nonum, distractio ad cogitationes vanissimas, ridiculas, ineptissimas, etiam alienissimo tempore, dum scilicet rebus divinis studere, aut aliis contemplationibus intenti esse volumus. Unde queritur S. Hier. in dialog. adv. Luciferianos: « Nunc creberrime in oratione mea aut per porticus deambulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione etiam, quæ dictu erubescenda sunt, gero. » Sic ille, forte in persona aliorum. Decimum impedimentum, quod opponitur homini a comparatione scientiarum, ab ipso ejus corpore, quod ei pro instrumento datum est ad scientias comparandas; cum tamen nullum aliud corpus impedit actionem propriæ formæ. Unde fit, ut licet mens nostra æterna sit, eique perpetua operatio debeatur, a corpore tamen impedita, ne medium quidem vitæ partem sibi vindicare queat. Nam infans imprimis et pueritia detrahenda est: deinde, plurimum temporis requirunt corporis refectio et quies, relaxatio animorum, aliaeque corporis necessitates. Quod ergo superest animæ, quantulum id est? Ex quibus omnibus patet, quam vere dixerit David, Psal. XLVIII. *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus et similis factus est illis.*

II. Despoliatum est genus humanum rectitudine illa voluntatis, qua ad bonum propendebat, a malo vero abhorrebat. Inde enim cœpit voluntas ruere in omnia vitia, vel hoc ipso, quod oculo intellectus destituta fuit. Si enim cœcō ducem auferas, necesse est sæpe impingat et labatur. Sed præter hoc ex illa despoliatione in alias missarias incidit homo, quæ habent se ex parte voluntatis. Prima est, aversio a cultu veri Dei etiam post tot beneficia, argumenta et miracula, quibus se patet fecerunt hominibus, et propensio ad collendos deos fictios, tametsi hi acerbissima quæque exigant, ut immolationem liberorum et similia, nec ulla divinitatis argumenta edere possint. Patet in Hebreis, (ne dicam in gentibus) qui tam facile et toties reliquerunt Deum suum, qui per tot miracula suam illis deitatem et amorem demonstravit; deos vero quos ignorabant, coluerunt, et filios suos immolaverunt Moloch. Secunda est philautia seu amor sui. Cum enim rationalis creature sit amare creatorem suum amplius, quam seipsam, et omnia creatæ (quomodo videmus membra capitis tuendi gratia, ictibus se objicere) nunc ordo hic inversus est, et nascuntur homines magis inclinati ad amandum se, et quæ ipsis placent, quam ad amandum Deum: ex qua pessima radice amoris inordinati, nascuntur omnia peccata. Non enim peccant homines casu, sed propter aliquod